DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA
DE
PARENTVM MORBIS IN FOETVM TRANSIENTIBVS.

QVAM
PROPITIO DIVINI NVMINIS MODERAMINE
CONSENTIENTE GRATIOSA FACVLTATE
MEDICA
IN ACADEMIA HIERANA
PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS RITE IMPETRANDIS BENEVOLO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT


IOANNES LAVRENTIVS NOLDE
SAXO-GOTHANVS
REV. CAPIT. HAMBVRG. VIC. IMMVN. ET MEDIC. PRACTIC.

Brüning 1771

D. III. DECEMBR. MDCCLXVIII.

ERFORDIAE,
STANNO NONNIANO, ACAD. TYPOGR.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE



Q. D. B. V.

PROOEMIVM.



Fœtus permultis in vtero jam laborare morbis, exclusi demortuique & post matris mortem excisi satis superque docuerunt. Errant quidem qui omnem fœtum exclusum languentem, immo mortuum, in vtero jam morbo laborasse vel demortuum fuisse putant, dum, si ceteroquin recte constitutus sit, exitum suum sanus beneque valens petere, & a quouis tantum obstaculo iter retardante, quorum numerus ma-



gnus eſt, imbecillis fieri, immo etiam mortem obire, potuerit. Errant etiam qui fœtum natum ſanum nullo in vtero morbo adfectum fuiſſe perhibent, quum tamen, vti extra vterum, profligata morbi cauſa, cum ſanitate iterum in gratiam redire poſſit. Parentum porro morbos in embryonem tranſire poſſe, quotidiana conſtat experientia. Podagricorum vero hecticorum, phthiſicorum cet. parentum liberos, dum iisdem morbis, ineunte ætate, adficiuntur, morbo hæreditario laborare, vt medicaſtrorum vulgus ait, perhibere ſtatim haud licet; quia, parentum vitæ genus ſectantes, eundem morbum ſibi hac ratione contrahere poſſunt: veroſimilius tamen eſſe videtur, ſi matris morbis laborent. Speciminis igitur inauguralis loco thema hoc eligere libuit, & de his atque illis, quantum vires & limites mihi præſcripti ſinent, agam. Primo itaque, quid mihi ſit morborum parentum in fœtum tranſitus, dein quomodo ex vtroque parente morbi in hunc tranſire, aut fœtus quouismodo adfici poſſit, indicabo. Fœtus igitur morbos in quinque claſſes diuidi: pendent enim vel a patre, vel a matre, vel a fœtu ipſo, vel a mola cum fœtu in vtero vna creſcente, vel a rebus externis in matris corpus aut embryonem ipſum agentibus. Ad patrem quod attinet, illum morbos vel per ſemen ſuum, vel per eius materiem nociuam exhalantem inque matris corpus reſorptam & eius humoribus mixtam, communicare arbitor. Matris vero morbos quam plurimos,

mos, tam vniuersales quam particulares, immo omnes interdum eius inopinatas mutationes ab animi adfectibus pendentes, in fœtum agere posse, nemo ibit inficias, & quando non iidem in illo morbi producuntur, lædi tamen diuersimode, immo enecari potest fœtus. Mala etiam fœtus conformatio, vel eius partium, vt placentæ, funiculi vmbilicalis, membranarum, aquarumue morbi aut præternaturale aliquod, eius sanitati vitæque limites ponere possunt. Quid mola aliaue concrementa hydatidosa cum fœtu in vtero vna habitantia, exque illo succum suum nutritium simul haurientia, in fœtus vitam sanitatemque valeant, viri artem obstetriciam facientes optime sæpiusque experiuntur. Rerum porro externarum in matris corpus vel fœtum ipsum actionem sæpeque nociuam, quotidie obseruare licet. Hisce pertractatis tandem de morborum fœtus signis, horumque præseruatione & medela in genere agam.





DE PARENTVM MORBIS IN FOETVM TRANSIENTIBVS.

§. I.

Si fœtus jam in vtero, vel etiam illo exclusus eiusmodi laborat morbis quibus parentes laborant, vel antea laborauerunt, hi morbi a parentibus in fœtum in vtero contentum jam transiisse dicitur. Videamus igitur, an & quomodo id fieri possit?

§. II.

Ad hominis procreationem mas & fœmina requiruntur: hic inprimis suum confert per semen virile, illa vero per ouula sua. Quando itáque patris morbi in embryonem transire debent, id vel per semen suum, vel alia adhuc ratione fieri debet.

Scholion.

Seminis ouulorumque ad procreationem necessitatem nemo hodie

hodie negat: an vero in ſemine virili volatile, ſpirituoſum aut elaſticum principium, ſecundum Harueium, an potius animalcula minutiſſima viua anguillarum ſimilia, ſecundum Leeuwenhoeckium, eosque qui hos ſecuti ſunt, eſſentiale ſit, de hac re & hodie ſub iudice lis eſt, & diu etiam forſan erit.

§. III.

Per ſemen virile vitioſum tranſitum morborum fieri poſſe in embryonem, aliqui putant: illud autem ad procreationem prorſus inutile eſſe, hinc etiam morbos in fœtum propagari haud poſſe arbitror; ſicuti enim omnes corporis humani ſecreta fluida vitioſa, corrupta, ſuos non amplius præſtant in illo effectus, ita etiam ſemen corruptum, ſiue reſpicias volatile, ſpirituoſum, vel elaſticum ſeminis principium, ſiue animalcula minutiſſima viua in illo contenta, nullam conceptionem, hinc etiam nullum verum embryonem, multo minus morbum vllum in eo producere poteſt.

Scholion.

Quum ſemen proprie ſic dictum, teſte Ill. Hallero, a) ſit liquor flaueſcens, tenuis, aquoſus, viſcidus tamen veſiculis ſuis conſeruatus, qui ſub coitu cum proſtatæ liquore commiſtus in vaginam vel vterum eiiciatur, patris morbos per hoc ſemen mixtum matri communicari poſſe haud quidem nego,

a) Prin, lin, phyſiol. edit, III, p. 380. §, DCCCLXXIII,



nego, id enim ſolummodo nego, fœtus a vitioſi patris ſemine generari & infici poſſe. Virus ſit e. g. venereum: gonnorrhœa virulenta laborans pater, ſemine ſtricte ſic dicto nondum vitiato, ſi fœcundum coitum exerceat, inficere quidem poteſt matrem, haud vero fœtum, illum autem ab hac iterum infici poſſe arbitror.

§. IV.

Valetudinarios, quorum corporis tam fluidæ quam ſolidæ partes vitiatæ eſſent, gignere tamen poſſe liberos, id que in primis memorabile eſſe, & eorum ſententiam probabilem reddere, rufum ſcilicet patrem ſolo ſeminis ope rufos interdum iterum procreare liberos, & æthiopam ab europæo impregnatam non edere nigrum fœtum, imo nonnunquam morbos & corporis animique vitia, in familia diu ab auis ad filios conſeruata iterum in fœtu edito adultoque conſpici, contrariam tuentes ſententiam forte reſpondebunt. Ad vtrumque reſponſum dabo.

§. V.

Ad valetudinarios quod attinet, hi nunquam, reſpondeo, id ſi verum eſſet, ſanos generare poſſent fœtus; quot vero liberi validi, ſani, fortes & formoſi, a patribus non bene valentibus, podagricis, hecticis, phthiſicis, melancholicis, gibboſis, ſurdis, cœcis, &c. procreantur? formoſorum contra, fortium validiorumque parentum liberi, deformes ſæpe, timi-

di

di ac morbosi deprehenduntur: hinc sanitatis vel aduersæ valetudinis infantum ratio, non in semine patris solo latere potest; alias enim, posita hac causa, idem semper effectus sequi deberet. Ad hæc accedit, quod, quando valetudinarii liberos adhuc gignere possunt, horum semen etiam corruptum dici nequeat; namque corrupta fluida secreta, vti supra iam dixi, suos efficere haud possunt effectus, & corruptum in morbis malignis fluidum nerueum statim sequitur motuum & sensuum deprauatio, immo horum plenaria abolitio, & deprauata saliua, liquor gastricus, pancreaticus & bilis, semper lædunt chymificationem, chylificationem, sanguificationem &c. Quod vero in valetudinariis bona adhuc liquida, licet minori copia, secerni possint, horum actionum non plenaria abolitio, sed imminutio tantum probat.

§. VI.

De morbis sæpe falso hæreditariis dictis in dissertationis meæ procemio jam quædam locutus sum, & huc etiam animi refero vitia, quæ sæpius in mala magis educatione, vitæque genere incongruo, quam imaginaria quadam hæreditate rationem habent. Quod vero ad corporis vitia, vt sunt mala corporis totius vel partium conformatio, nævi, aliaue vitia externa attinet, hæc vel casui, vel causis in matre existentibus, vel actioni corporum externarum in matris corpus agentium, eiusque imaginationi in fœtum, licet modum



dum minus intelligamus, dum solummodo per experientiam constet, agenti, annumeranda esse videntur.

§. VII.

Quum itaque patris morbi, vel eiusdem quæcunque vitia, per semen virile embryoni communicari posse non videantur, nullam aliam inuenire possum viam, qua, si fieri posset, in fœtum transire queant, nisi per matrem, & quidem dum nociuam per transpirationem aliasque vias exeuntem materiem inhalet, & per humores suos fœtui tradat: idque ita fieri posse, virus venereum, variolaceum, icterus, cet. probat, quo embryones jam in vtero infectos fuisse obseruatores adfirmant. Me hic autem de eiusmodi morbis loqui, qui communicabiles sunt, & cœcitatem, surditatem, aphoniam, næuos maternos cet. excludere, quiuis facile intelliget.

§. VIII.

Ad matrem abeo, quatenus hæc morborum fœtus causam in se continet. Quia fœtus eius pars est, & matris humoribus nutritur, inque eius corpore ab his incrementum capit, omnibus etiam morbis, qui in matris humoribus, eiusque corpore in genere rationem habent, laborare potest, & licet non iidem morbi ad fœtum transeant, diuersimode tamen ab his lædi, immo enecari potest fœtus. Matris autem in fœtum agentes morbi, vel corpus, vel animi adfectus respiciunt. Si corpus adficiatur, vel totum corpus,

vel

vel partes quædam ſolummodo laborant. Ab his & illis lædi poteſt fœtus. De morbis itaque totum matris corpus infeſtantibus primo dicam, dein & de morbis partium loquar.

§. IX.

Quando morbo quodam totum corpus adficiente, quos omnes enumerare ſuperfluum cenſeo, laborat & languet grauida, languet & fœtus, quod quidem primis morbi diebus mater non ſemper animaduertit, dummodo vero perdurat morbus, & fœtus jam motus in vtero ſenſibiles edidit, quod medium circa grauiditatis terminum fieri ſolet, b) hos interdum motus grauida in morbi principio magis quidem ſentit, ſed ſilent tandem omnes, certo ſigno & fœtum laborare. Ne dicam de morbis ſpecialibus quibus mater adfici poteſt, vt lue venerea, variolis, ictero, cet. cuius veſtigia adhuc in corpuſculo fœtus poſt partum conſpici poſſunt. Abortus etiam ſæpe a febribus præcipue acutis, maxime contagioſis & inflammatoriis, morbis dolorificis, hyſteralgia, vomitu, diarrhœa, dyſſenteria, teneſmo, morbis conuulſiuis, epilepſiæ inſultibus cet. produci, experientia eſt vulgaris.

§. X.

Morbi totum matris corpus adficientes in fœtum nonſolum agunt, ſed etiam hi qui eius corporis tantum partes

 aggre-

b) Rœderer Elem. art. obſtetr. p. 72. §. 155.



aggrediuntur, inprimis autem partes generationi dicatas, quarum omnis mutatio præternaturalis embryoni noxam dare poteſt. Hæ autem inprimis ſunt peluis, vterus, vagina, tubæ Fallopianæ, & ouaria; reliquæ enim partes magis ad nexum, & ad has in ſitu ſuo retinendas quam ad generationem adſunt: quædam autem harum partium mutationes præternaturales poſt factam jam conceptionem oriri debent, alias enim, ſi jam adfuiſſent, nulla fieri potuiſſet conceptio.

§. XI.

Peluis dum ex oſſe ſacro & oſſibus innominatis, hæcque ex oſſe ilio, iſchio & pubis, compoſita ſint, quoduis horum oſſium, omniaque ſimul ſumta, ſitu, nexu & figura peccare poſſunt, & quia in his præter hæc omnium oſſium morbi, vt perioſtei inflammatio, exoſtoſis, hyperoſtoſis, ſpina ventoſa ſeu pædarthrocace, caries, cet. locum inueniunt, & hi etiam vterum grauidum afficere, fœtumque in eo contentum lædere, immo abortum ipſum producere poſſunt.

§. XII.

Ad vterum quod attinet, huius etiam ſitus, nexus, & figura minus recte ſe habere poſſunt. Ad hoc accedit, quod ille, vt pars matris membranoſo-vaſculoſo-neruoſo-glanduloſo-muſculoſa, ad omnes illos morbos recipiendos, quibus a cauſa quadam eiusmodi corporis partes affici poſſunt, vt e. g. doloribus, ſpaſmis, conuulſionibus, inflammationibus, ſup-

ſuppurationibus, ſchirroſa induratione, cancro, gangræna, ſphacelo, nimia laxitate, vel rigiditate, cet. aptus ſit, quibus fœtus ſanitas, incrementum, præmatura excluſio, immo vita eius ipſa terminatur.

§. XIII.

De vagina idem valet quod de vtero diximus. Quia vero fœtus ordinarie in vagina non habitat, quod rariſſimus quidem, interim tamen obſeruatus caſus eſt, huius morbi etiam non immediate agunt in fœtum, ſed tantum ob nexum & partium conſenſum. Inprimis tamen vaginæ vitia fœtus exitum difficilem reddere, retardare, immo impoſſibilem facere poſſunt, vnde fœtus nimis debilis fieri, & vita priuari queat. Eiusmodi autem præter alia vitia ſunt nimia anguſtia, huiusque coalitio a quauis cauſa, prægreſſa poſt conceptionem vel vaginæ inflammatione, ſuppuratione, cet. & poſt neglectam, ob intempeſtiuum pudorem, legitimam curationem, orta.

§. XIV.

Tubas Fallopianas, ouaria, harumque partes vicinas morbis ſupra dictis (§. XIII. XIV.) adfici poſſe, medicorum nemo negabit: hinc embryonis etiam ſanitas & vita ab his periclitari poteſt. Mala harum partium conformatio, vel quæuis præſens, vel ſub coitu & breui poſt in his orta mutatio præternaturalis, fœtui recens nato obeſſe poteſt. Fœtus itaque tam in hac vel illa tuba hærentes demortuique, item in



ouario alterutro, vel in abdomen delapſi, &, abſceſſu facto, per aluum putrefacti ſenſim ſenſimque excreti, cuius rei veritatem oſſicula hac via eiecta probauerunt, obſeruati ſunt.

§. XV.

Ad matrem, quatenus hæc nonſolum ſibi ſed etiam embryoni ſuo nocere poteſt, recte eius animi adfectus nimii referuntur, inprimis quando hæc ſenſibilis nimis atque irritabilis eſt: abortus enim quando ex his oriri poſſunt, non dubium eſt quin noxam fœtui etiam dare poſſint. A terrore itaque, timore, ira, gaudio, amore, aliisque, qui ex his animi adfectibus ortum ducunt corporis motibus, vterum partim ad contractionem proritando, partim ſanguinem vehementius ad hunc determinando, placentæ ſolutionem, hæmorrhagiam & abortus produci poſſe, notum eſt: hinc in obſeſſis vrbibus, & locis vbi terræ motus grauidas exanimant tot abortus obſeruantur, nec non a cachinno, ſaltatione & a coitu recens nuptorum frequenti, in primis præcipue grauiditatis menſibus.

§. XVI.

Huc tandem matris grauidæ imaginatio pertinet, qua fœtus, inprimis ſi animi adfectus hanc comitetur, ſanitas nonſolum, ſed etiam forma & pulchritudo quam maxime mutatur. Mirabilia ſæpe ſola imaginatione in fœtu produci poſſe, in arte peritiſſimi acutiſſimique viri, nec quidquam temere credentes, agnoſcunt, & fuſe docteque hanc rem, quantum fieri poteſt, nouiſſime demonſtrauit Cel. Krau-

ſe,

ſe, c) licet Cel. Rœdererum, doctiſſimum in hac re opponentem, omniaque mechanice demonſtrantem habeat. v. l. c.

§. XVII.

Cauſam morborum fœtus vel in patre, vel in matre deprehendi ſupra iam diximus: videamus igitur an etiam in fœtu ipſo, & quidem in eius mala conformatione, quæ quidem in matre ipſa rationem iterum habere poteſt, latere queat. Quando corporis fœtus pars quædam præcipua, e. g. caput, male conformatum eſt, ſecretiones quæ ibi ordinarie fiunt, omnesque in illo euenientes actiones raro minus recte ſuccedunt, hinc male ſe habebit totum reliquum corpus: ſi alia corporis pars, huius tamen ad minimum actio, & ſi in illa fiat ſecretio, omnes ab hoc ſecreto fluido pendentes mutationes. Monſtra, quando hæc etiam viua excluduntur, raro tamen ſana ſunt & ſeniora fiunt, manifeſto documento malam conformationem ſanitati & vitæ ſemper obeſſe.

§. XVIII.

In fœtus etiam partibus, vt placenta, funiculo vmbilicali, membranis quibus incluſus continetur, & liquore quo innatat, cauſa morbi, fœtusque præmaturi exitus latere poteſt; omnes enim hæ partes iisdem etiam morbis laborare poſſunt, quibus laborant corporis noſtri partes celluloſæ, fibroſæ, neruoſæ, vaſculoſæ, glanduloſæ, membranoſæ & lymphaticæ, quibus fœtus nutrimento defraudatur, debilitatur, vita priuatur & ad abortum ſollicitatur: ad hæc accedit,

c) Abhandlung von den Muttermälern. Leipzig 1758.

dit, quod placentæ ſitus irregularis eſſe, & ab eiusdem incremento aliaue cauſa ſolui, & hæmorrhagiam efficere poſſit, quam ſumma ſequitur fœtus debilitas & abortus. Idem valet ſi funiculus vmbilicalis nimis breuis, vel circa fœtum varie contortus, vel circa eius collum ligatus ſit.

§. XIX.

Mola etiam fœtus ſanitati vitæque obeſſe poteſt; namque nutrimento per hanc ille nonſolum defraudatur, ſed alia etiam incommoda ab hac oriri poſſunt, e. g. hæmorrhagias ſæpe efficiunt, fœtum premunt, inprimis quando hæ in nimiam molem accreſcunt: molas autem variam magnitudinem immo viginti librarum incrementum acquirere poſſe, & de tribus ſine & cum fœtu vna excluſis, proſtant celeberrimorum virorum memoriæ proditæ obſeruationes, d) & quod cum fœtu in vtero vna in magnam molem excreſcere, eique noxam dare, & eius præmaturum exitum facere poſſint, nuperrime etiam in grauida abortiente expertus eſt artem obſtetriciam Erfordiæ cum laude faciens D. Alix: hæc mola circiter perfecti fœtus magnitudini & ponderi æquabat, & diſſecta fœtus rudimenta oſtendebat, ſed in lancem eam imponere, multo minus ſecum auferre, & vini ſpiritu conſeruare, nimia mariti religioſitas vetabat.

§. XX.

Res tandem externæ, vel in grauidæ corpus tantum, vel in embryonem ſimul agentes, ſanitatem & vitam fœtus ter-

d) Breßlauer Sammlungen von Natur- und Medicin-Geſchichten &c. Verſ. XXV. p. 214. & XXXVIII. p. 406.

terminare possunt. Hæ autem iterum vel materialiter vel per matris imaginationem in fœtum agere possunt. Materialiter agunt e. g. verbera in abdomen, contusiones, ictus, lapsus, venena interne sumpta, vel externe adplicata, omniaque pellentia, emmenagoga, cathartica, emetica, cet. Per imaginationis vim omnia in fœtum agunt, quæ in matris sensus improuise imprimis occurrunt, quorum casus haud rari sunt, sed in medicorum scriptis vbique inueniuntur.

§. XXI.

Postquam de fœtus in vtero morbis, & vnde ortum ducunt quædam in genere dixi, & ad signa quibus hi cognosci possunt progredi licet. Quum vero in vtero inclusus hæreat fœtus, nulla horum alia pene sunt signa, quam quæ ex eius motu in vtero vel imminuto vel aucto desumuntur: reliqua sanitatis, morborum vel mortis fœtus signa, dat matris habitus corporis sanus vel morbosus.

§. XXII.

Fœtum in vtero motus edere, qui medio præcipue grauiditatis tempore sentiuntur, omnium grauidarum vulgaris experientiæ res est. Quando itaque hi magis minusue percipiuntur, omnes grauidæ statim ad morbosum fœtus sui statum concludunt: hinc etiam Cel. Reimann e) pro signo infallibili absentiam motus infantis in vtero demortui venditat, & Cel. Rœdererus f) examen & quomodo motus hic recte determinandus sit, indicat. Quum fœtus moritur, alias sensim minutus motus cessat, alias mortem vehementissima eius-

C dem

e) Breßlauer Sammlungen Vers. VIII. p. 752. f) l. c. p. 163. §. 372. α) β) γ) ϑ) ε) ζ)



dem agitatio, ex conuulſionibus agonizantis procul dubio nata, præcedit.

§. XXIII.

Præter fœtus in vtero motum vel auctum vel imminutum vel prorſus ablatum, ex aliis etiam a matre deſumtis ſignis eiusdem morbi ac mors cognoſci poſſunt. Omnis enim matris morbus grauis, fœtum etiam laborare, jam indicat, & Hippocrates g) ait: "cum mortuus fœtus fuerit, tum aliis ſignis coniicere licet, tum etiam jubere oportet, vt modo quidem dextrum in latus jaceat, modo etiam in ſiniſtrum conuertatur: dilabitur enim fœtus in vtero quocunque ſe vertat mulier, velut ſaxum, aut aliud quidpiam, ſi mortuus fuerit, & pectinem frigidum habebit. Quod ſi viuat, pecten calidus eſt, & totus quidem venter, vna cum reliquo corpore, concidit, nihilque in eo absque reliquo corpore dilabitur: & alio loco h) quibus grauidis ad 7. aut 8. menſem mammarum ventrisque plenitudo derepente ſubſidet, mammæque extenuantur, & lac non adparet, puerum aut peperiſſe, aut debilem eſſe, aſſerendum eſt." Lacteum e mammis ſerum copioſe profuſum, abdomen frigens & ſtrictum, vmbilici foueam rurſus adparentem, & regionem hypochondriorum laxatam Cel. Rœdererus i) inter ſigna ponit. Cel. Bagliuius k) vt infallibile mortui fœtus indicium, ex Cœlio Aureliano, teneſmum, ſeu conatum ingentem feces deiiciendi, huc refert. Inteſtino etiam recto atque veſica compreſſa teneſmus nonſolum, ſed etiam vrinæ incontinentia vel ſuppreſſio

preſſio

g) De ſuperfœtat. p. m. 261. h) De morbis mulier. p. 601. i) l. c. p. 164. 165. §. 374. 378. k) Prax. med. l. 2. c. 8. p. m. 198.

preſſio ſuccedit. Faciem autem plumbeam, oculorum liuorem & depreſſionem, cordis palpitationem, ſpiritum difficilem & fœtentem, capitis dolorem, oculorum caliginem, aurium tinnitum & ſuſurrum, febrem lentam, animi deliquia, ſimiliaque a Salmutho l) & Langelotto m) laudata ſigna, incertiora, quin immo fabuloſa eſſe, adfirmat Cel. Rœdererus. n)

§. XXIV.

De fœtus tandem morbis præcauendis & curandis quædam proferre nobis reſtant. Quando omnes ſupra dictæ cauſæ tam proximæ quam remotæ euitari poſſent, nullo vnquam laboraret morbo fœtus: quia id vero nunquam fieri poteſt, & actio inprimis corporum externarum omnis in matris corpus, adhibita licet omni cura, impediri nequit, præſeruationis præcepta, ſi grauida quædam optime etiam obtemperaret, haud ſufficiunt. Interim tamen diæta & regimen conueniens eſſe debet & venæ ſectiones atque purgationes caute, ſi opus eſſe videatur, adhiberi oportet, omnes etiam ſe & excretiones corporisque motus & animi adfectus vt moderentur neceſſe eſt, tandemque omnem occaſionem, qua morbum ſibi contrahere, vel eius animi adfectus & inprimis imaginationem excitare poſſit, euitare oportet.

§. XXV.

Quando vero grauida præter omnem opinionem incidit in morbum, vel res externæ inopinate ita agunt in eius corpus, vt fœtus ſanitas aut vita in periculo verſetur, relictis omnibus rebus embryoni occurrendum eſt. Optime autem fœtui conſuli poteſt, ſi matris morbos quantocyus, ſi fieri poſſit, auferamus. Medela

autem

l) Cent. 2. obſerv. 69. m) Ephem. N. C. Dec. I. Ann. 6. & 7. obſerv. 13. n) l. c. p. 164. §. 376.



autem diuersa erit, quatenus diuersis a variis causis ortis laborare potest morbis, quos omnes vero hic pertractare nimis longum foret, & ex principiis pathologicis atque therapeuticis cognosci atque his mederi debent. Periculosissimus autem grauidæ morbus semper est vteri hæmorrhagia; quia modo non semper eam sequitur abortus.

§. XXVI.

Quid vero ad malam fœtus in vtero conformationem aliaque corporis vitia attinet, hæc non in vtero, sed extra illum, si possit, auferre debent. Solet sæpe, inprimis post difficiliorem partum, tumor in hoc vel illo capitis loco adparere, qui discutientibus feliciter sanari solet: hi autem tumores qui in occipite sunt, raro sanantur, sed infantes conuulsi moriuntur. o) Deest interdum anus, vel membrana externe vel interne clausus adest, quod malum simplici sectione curauit La Motte, p) vel vestigium nullum adparet, vel intestinum rectum deest, vbi parum spei superesse videtur. Idem etiam de vrethra valet: quando enim eius orificium non apertum est, cura quidem non est difficilis; aliquando autem vrethræ pars omnino deficit, & tunc raticaliter hoc malum curari non potest. q) Contingit quandoque vt recens natus fœtus superflua quædam membra habeat, & quia plerumque carnea tantum sunt, filo cerato sine infantis molestia ligauit La Motte, r) vbi tales ligati quatuor digiti, intra tres vel quatuor dies ceciderunt. Idem etiam valet de eiusmodi næuis maternis, quæ secari atque ligari possunt. Quod vero ad reliquos næuos attinet, vel totum corpus vel partes externas atque internas monstrosas, hæ raro vel nunquam curantur.

TANTVM.

o) Levret. l'art des accouch. p. 212. p) Traitè des Accouch l. 1. observ. 86. p. 129. q) observ. chirurg. N. 3. p. 8. r) l. c. L. 1. observ. 85. p. 129.